



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

Horrion, Johann

Paderbornæ, 1616

Capvt VIII. Nouum Euangelium cum summo Academiæ odionatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14243

Nouum Euangelium cum summo Academiarum odio natum.

SCio quæ ille somnia intelligat. nempe Mis-
sam, Purgatorium, Sanctorum inuocationem, & si-
milia Ecclesiæ Catholicæ dogmata, quæ sapientissi-
mus quisque veterum Patrum complexus est, vt ne-
mini possit esse dubium, quin illi potius somnient, qui ista
repudiant. At ego in hoc ipso de quo agimus Academia-
rum negotio tam planum facio ipsos illos noui Euangelij
architectos somniasse, seu potius delirasse, vt ex eo, quod
ijs circa has artes contigit, in quibus erant inde ab ineunte
ætate versati, conijci possit, eos cum toti antiquitati in-
grauissimis fidei decretis somnia obijciunt, omninò de
potestate mentis exisse. Quæro enim ex Burenio, num
hic ille Philippus, cuius præconio suam orationem com-
mendari voluit, non aliquando Academias, & bonarum
litterarum gymnasia sit execratus, & infano odio persecutus?
Quæro num meminerit anno Salutis nostræ M. D. XXI.
æneis formis excusam esse orationem Didymi Faurentini
nomine, contra Thomam Placentinum? num ignoret [Ep. Lat.
tom 2 ep.
ad Spa-
lat]

huius orationis ab ipso Luthero auctorem laudari eum, de
quo nobis sermo est, Philippum Melanchthonem? In ea
porrò oratione hæc sunt verba. Ne nullæ essent in
Christianismo scholæ, Academiæ generalium
studiorum, quas modò Vniuersitates vocant, cõ-
dite sunt. Atque hoc consilio mirum est, quàm
placeant sibi, quàm salutare putent, quo nõ aliud

repererunt neque perniciosius, neque magis impium, & quod video non Pontificibus, sed ipsi debere Sathanæ, qui si quo vnquam, hoc certè casu, egregiè imposuit Christiano populo. Equidem sapientem virum fuisse iudico VViclephum Anglum, qui omnium primus, quod ego sciam, vidit Vniuersitates esse Sathanæ synagogas. Et quid dici vel pium magis, vel sapientius potuit? Hæc Philippus alludens ad illud VViclephi pronunciatum, quod inter alia Concilium Constantiense damnauit: **Academias, Collegia Academica, studia, & insignia magistralia vana gentilitate esse introducta, & tantum Ecclesiæ prodesse quantum prodest Diabolus.** Ac ne quis dubitaret num hoc odium esset ab ipso genio noui Euangelij ipse eius parens Lutherus simul in Ecclesiam furere & bacchari coepit, Academias omnibus maledictis infectabatur, & exagitabat. Suntne hæc Lutheri verba? Ex isto fumo (de quo S. Ioannes in Apocalypsi) prodeunt locustæ istæ, quæ omnes cathedras occupant, omnia gubernacula administrant, vt **Academias ab initio mundi Satanas nihil excogitarit præsentius, ad vastandam fidem, & Euangelium toto orbe.** Ibidem eas comparat cum valle Tophet, & cum fano Moloch. Alibi appellat asinorum bipedum stabularia: alibi portas, & Ianuam inferi. Est vbi vocet Antichristi lupanaria: **Diaboli tabernas: Synagogas synagogarum Sathanæ.** Adiunxit ad hæc & alia conui-

[Sels. 15.]

[Lib. de
abrog.
missa.]
[l. de insti-
tuen. pue-
ris.]
[Oper. in
Pl. 22 & l.
cōtra Ca-
thar.]
[l. de mis-
sa priua-
ta.]
[in conc.
habita Ka-
lend. Ian.
1522 Col-
maria e-
dita.]
[L. contra
Latomū.]

conuitia, magna, & impudentia mendacia. An non est mendacium, Academias Aristotelem Christo æquauisse, quantum ad auctoritatem, & fidem? Verbo & ratione docendi soluere mandata Dei? Christum & nouum Testamentum longius ex mundo exterminasse, quam Iudæos, & Turcas? denique in Academijs sub titulo doctrinæ Christianæ non nisi pugnantissima Christianæ fidei doceri? Videntur Tibi, Princeps Illustrissime, hæ vigilantium, an somniantium? prudentium, an insanorum voces? Sed audi facta haud paullo dictis stultiora. A N N O M. D. XXII. cum Lutherus metu Caroli V. Cæsaris in Pathmum, vt ipse insolentissime appellabat, secessisset, interea VVittembergæ Andreas Carolstadius, & Philippus Melanchthon, Lutheriano cæstro perciti, cogitarunt quemadmodum doctrinam, quam Lutherus, si Dijs placet, deuocasset de cœlo, factis persequerentur. Ergo, cum inter alia tam insignie eius in Academias odium haud dubijs argumentis perspexissent, iuuentuti quæ in Academia VVittembergensi studia litterarum æmulabatur, auctores fuerunt, vt combustis libris, spretoq; gymnasio in opificum se disciplinam darent. Neq; dubitarunt, cuius suasores fuerant, eiusdem consilij duces esse. nam Carolstadius in villa haud longè ab Vrbe ex Doctore Theologiæ de improuiso agricola, ac rusticus euasit: Philippus qui Philosophiæ magister erat, pistori suam operã nauare cœpit. Hoc tantorum Theologorum decretum, inquit Staphylus, fusè longèq; dimanauit in plerasq; Vrbes Germaniæ. Et, vt reliquas taceam, scimus Vratislaviæ, & Suidniciæ in

[Lib. contra Cath.]

[Lib. de abrog. Missa.]

[Con. Kalendar. Iam. Col.]

[Colloquium Aftenburg. Sarius.]

[Staph. apolog. p. 3. de consens. Euan gelic 6. Biblijste]

Silesiæ biennium ludos litterarios oclusos fuisse, & planè extinctos : nec quicquam ab istorum sectariorum discipulis lectum, præter textum sacræ scripturæ. At, inquit, Lutherus, & Philippus, mutata postea voluntate, auctores ubique fuerunt per Germaniam instituendarum scholarum, neque obscurum est, eos qui eorum instituta sectantur, passim gymnasia habere publicè informandæ iuuentuti. Principiò non ideò non somniarunt, quòd aliquando suo illo somno excussi aliter, ac prius censuerunt. Imò verò vel inde liquidò constat somnia fuisse, quòd tunc ab ijs damnata & explosa sunt, cum eos isti sapientiores fuisse confitentur. Deinde est quòd gratias Principibus agamus, qui cum Anabaptistarum exemplo, didicissent, quantùm ad perturbandam rempublicam virium haberet Nouo Euangelio armata barbaria, mature ne id malum latius serperet prouiderunt. Qua in re videntur mihi fecisse, quod, vt ex Timæo narrat Athenæus, Prætores olim Agrigentini ebriosis quibusdã iuuenibus. Cùm enim hi vino madidi in eam deuenissent amētiam, vt cum in taberna sederent, triremi sibi per mare vehi, & tempestate jactari viderentur, eaque persuasione supellectilem omnem, atq; adeò lectos ipsos, velut alleuandæ nauis causa, proijcerent foras, exciti tali insolentia magistratus, intanientes obiurgarunt, ac ne amplius ad eum modum se vino replerent seuerè monuerunt. Illi admoniti proijcere quicquam desierunt, sed ita vt hærent etiam nonnullæ reliquæ delirationis. Nam & Tritones prætores appellabant, & se ingenti tempestate perfunctos querebantur, & ijs se in patria, velut suis liberatoribus statuas posituros esse promittebant. Nimirum necdum vini, à quo illa vafania proficiscebatur, vis tota remiserat. Neque verò fuisset

[Lib. 2.]

set quisquam tam vacors, qui his hominibus, quicquam supellectilis, quod non proiectum, & perditum vellet, custodiendum prius daret, quàm essent omni pristinae aberrationis periculo liberati. Atque spectauimus quidem Lutherum, & Philippum nouo euangelio ebrios, non lances, & lectos, sed optima nostrorum instituta maiorum, & pulcherrima reipubl. vel ornamenta vel subsidia abijciantes. num illi admoniti penitus se ab illa insania remouerunt? an non quasdam eius notas est intueri? denique an non illa è nouo Euangelio profluxit? num igitur illa potest, nisi eo prorsus sopito, atque extincto, omninò conquiescere? Certè Erasmi, quem credo isti rectè de litteris existimare posse non diffitentur, hæc fuit sententia. Vbi regnat Lutheranismus, ibi litterarum est interitus.

[Lib. 19.
epist. ad
Pyrckheimerum.]

C A P V T IX.

Philosophia in Academijs non respicienda.

Verùm idjam non ago. satis mihi fuerit ostendisse eos manifestò sua confessione somniasse, qui Catholicis Academijs somnia obiectare non sunt veriti. Deinde non satis tutò ijs hominibus Academiarum curam committi posse, qui tam flagitiose delirarunt vt tanquam exitiosas Reipubl. damnerent, præsertim si nonnulla etiam in ijs tantæ dementiæ vsquam vestigia appareant. Dixi enim horum furorem, perinde vt illorum Agrigentinarum non simul totum esse compressum. Id vel ex eo constare potest, quòd etiam postquam Philippus à furno ad scholas redijt, tantisper honores Academici nemini more maiorum, mandati sunt, donec Ele-